



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim**

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii  
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae  
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

**Quintilianus, Marcus Fabius**

**Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665**

CCCXV. Fortis pater desertoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12889**



non extrinsecus has furias venire, nec ullius Deorum impulsu hanc mortalibus incidisse dementiam: sed nasci intus: conscientiam esse, quæ torqueat: animum esse qui urat. Iterum gratulor. Bene hercule factum est, quod etiam si omnes sefellerimus, effugere non possumus nos. Ite nunc, & dicite. Demens erat, cum confessus est. At mihi videtur demens fuisse, cum occidit. Ergo quodcumque illud furoris genus, aut poena à Diis immortalibus constituta, aut confessio quædam nocentis animi videretur. Videamus tamen quomodo insanierit. Si per præcipitia ferretur, dicerem, Agit aliquis deorum. si in obvios occurreret, dicerem; Ultrionis quæritur materia. Nunc vox una, vox eadem ad iudices, & per totam civitatem: Ego te, pater, occidi. Invenire liceat, quid factum sit, non est dementia, Ego te pater, occidi. Hoc si vos furorem vocatis, idem pars dixit iudicum: nihil variatum, nihil ex more aliorum insanientium mutatum est: Ego te pater, occidi. Longa confessio est: repetita totiens confessio est. Ecquid concipitis animis imaginem illam, quæ hoc coëgit? Stabat profecto ante oculos laceratus, & adhuc cruentus pater: ostendebat effusa vitalia, totus ille ante oculos locus, totum scelus mente & cogitatione perplexum. Non potest fieri, ut per dementiam videatur totiens confessus qui nunquam negavit. Ite nunc, & paribus absolvite.

## CCCXV.

*Fortis pater desertoris.*

VIR FORTIS DESERTOREM SUA MANU OCCIDAT. Eodem prælio, quo pater fortiter fecit, ejusdem filius deseruit. Petit præmii nomine, ut eum non ipse occidat.

## DECLAMATIO.

Fortis præmium petit.

## SERMO.

[ Totum scelus mente & cogitatione perplexum. ] Alii apud Ærodiæm perferunt. Forte, repetitum. Idem.



## S E R M O.

*Illam communia noctis.*

## D E C L A M A T I O.

Scriptum est.

## S E R M O.

*Est illud commune.*

## D E C L A M A T I O.

Merito scriptum est : magno labore, multis periculis consequutus sum.

## S E R M O.

*Est aliquid proprium controversia huic.*

## D E C L A M A T I O.

Peto primum fortis, qui senex fortiter feci, qui in ea acie fortiter feci, in qua & filius meus fugit. Sed contra legem petis.

## S E R M O.

*Iterum illa communia. Omne privilegium contra reliqua iura esse : viris fortibus non posse premia persolvi, nisi cum alia inclinatione legis alicujus. Hac jam prompta ut comparemus, etiam si contra legem optamus, utram tamen magis servari legem placet: utrum eam, quae honorem dat benemeritis; an eam quae constituit poenam peccantibus. Deinde specialiter, utrum eam quae honorem viro forti dat, an eam quae poenam desertori constituit. In utraque re speciosus & apertus tractatus est: nam describere possumus, quanta cum difficultate fortiter pugnetur, & quanto cum periculo: & excusare & <sup>1</sup> dare veniam aliquam, ut natura dignum sit: & difficile fortiter pugnare, quam mirum esse aliquem qui deserat: hic clamor ille utriusque exercitus, tela illa in nos & in oculos venientia, & <sup>2</sup> cadens secundum latus commilitonum gemitus vul-*

*nerato-*

<sup>1</sup> Et dare veniam aliquam.] Hic quoque male habitus locus. Fortasse: nam describere possumus, quanta cum difficultate fortiter pugnetur, & quanto cum periculo; & excusare, & petere veniam aliquam. (vel, & dandam veniam dicere)

ut natura magnum sit & difficile fortiter pugnare, ita non mirum esse aliquem, qui deserat. Idem.

<sup>2</sup> Cadens secundum latus commilitonum.] Scribe: commilitonum gemitus vulneratorum. Vidit in parte A. Rodius. Idem.



neratorum: & fragor ille armorum & nitor ferri. Deinde cum comparaverimus leges, nihilominus & molliamus questionem.

## DECLAMATIO.

Non utique periit lex: quare? quoniam plurima accidere possunt, ut desertorem non vir fortis occidat. Hæc enim sic dixi: tanquam impunitatem desertoris peterem: nunc de pœna nihil detraho desertoris, de ministro tantum, de manu tantum quæritur. Frequenter autem necesse est accidat, ut desertorem non vir fortis occidat: finge deseruisse aliquem, & neminem fortiter fecisse: incolumis erit desertor? Finge fortiter pugnasse aliquem, sed in ipsa pugna debilitatum, ita ut manum amitteret: nunquid non necesse est subire aliquem hoc ministerium? Hoc de alienis. Præterea lex quæ desertorem à viro forti occidi jussit, nihil cogitavit de hac necessitate. Quædam etiam si nulla significatione legis comprehensa sint, natura tamen excipiuntur. An hoc cogitatum esset, ut pater filium occideret? ut frater fratrem occideret? nam id quidem profecto vix natura ipsa videbatur admittere, ut in eadem acie pater fortiter faceret, filius desereret. Itaque si illud non præmii nomine peterem, si aliter gratiam mihi retulissetis, recusarem: dicerem, Non utique occidere debeo, plus est, quod opto. Lex desertorem & virum fortem nominavit. Mutata sunt omnia: filius deseruit. Ergo hæc dixi: adhuc debetur mihi quodcunque præmium: dicetur vel contra legem. Mea lex utilior est reipublicæ. Non utique contra legem peto, quoniam multa accidere possunt, ut non vir fortis occidat. Non contra legem peto, quoniam fieri non potest, ut & hoc voluerit, ut à patre filius occidatur. Renuntio reipublicæ, non utor honore constituto: nemo queretur de iniquitate præmii mei, nemo me impotenter uti fructu virtutum existimet. Non feci fortiter. Erratis commilitones: blanditus est mihi imperator: <sup>1</sup> de-

cepit

<sup>1</sup> Decepit te sama civitatis.] Scribendum, Decepit te sama, civitas. Idem.



cepit te fama civitatis. Ego fortiter homo senex? Ego fortiter desertoris pater? At putate hoc me obtinere non posse. Non utor honore virtutis, non subeo onera viri fortis: nolite mihi dare præmia, non occido desertorem tanquam vir fortis. Demittite me à merito meo: liberate me nomine, & sane quam habetis aliam vindictam? Lex occidi à viro forti desertorem voluit, tanquam inutilissimum, tanquam inimicissimum, neque enim pœnam hanc viro forti constituit, neque imposuit recusanti, neque ullam necessitatem nolenti. Quid etiam facietis, si non occidero? Quis est hujus constitutionis exitus? legem nullam habetis. Sed vindicare vos vultis. Adhibete carnificem, occidite utrumque. Bene hercule exhortamini: est, quare arma senex resumam. Fortiter fecisti, plurimum reipublicæ tuæ præstitisti, velis nolis. Quid igitur hæc ad parricidium? Et filium occide, & parum sit tibi perdere. Vehemens erat, si dicerem, nolo occidere: ignoscetis mihi dicenti, Non possum: manus illa quæ fortis dicebatur, defecit. Scio nunc me, judices, reprehendi à bonis patribus, tanquam præmium optare nesciam: melior enim & indulgentior pater hoc diceret. Donate meritis meis filium: ita ego quod fortiter feci, quod tantum hostilis sanguinis fudi, quod inter momenta victoriæ fui, non est pro opera duorum. Ego si melior essem pater, illud quoque simpliciter confiterer, deseruisse filium mea culpa. Quid enim necesse fuit educere in aciem adolescentulum? Quid necesse fuit rudes annos, cum gravissimo hoste, acerbissimo prælio componere? aut certe si tantus gloriæ amor, si tanta cupido laudum, recedere à filio meo non debueram: & feci, judices, primum, & tanquam instituerem filium rudem militiæ, non procul à latere reliqui. Decepit me ardor ille belli: ut primum signa canere cœperunt, primum totum animum percussit patria, sola virtus: adolescentulus interim

x *Quis est hujus constitutionis exitus.*] Forte, *contentionis*. Idem.



interim rudis in illa nube pulveris, in illa confusione permixtarum utrinque legionum, virum fortem sequi non potuit. At ego infelix, etiam invidiam filio feci, & spolia retuli, quo minus illi ignosceretur. <sup>1</sup> Quo me ducis, anime? quo me trahis, affectus? Placet causa: sed aliud optavi. Nihil est, quod ex meo favore speres, juvenis infelicissime: nullam fiduciam ex hac quantulacunque operæ meæ gratia capias: moriendum est. Debetur hoc sane disciplinæ militari, debetur castrorum severitati. Infelix exeuntium omen, miseræque primitiæ! Si alterum utique ex domo nostra destinabatis, cur non senem potius traxistis? Quid nunc tibi proderit, miserrime adolescens, quod modestus in pace, quod pius? Et <sup>2</sup> si contigisset felicitati, felicior quies, optimus filius eras. Moriendum est: quid tibi præstare infelix pater possum: cum duceris, flebo, plangam. Hos, quos sumpseram modo ex victoria publica lætos habitus, abducite. Merui ambitiosus pater, scilicet, ne quid de militari severitate detraherem, ne viderer vir fortis desertori ignoscere. Contentus fui post tot merita, favente tota civitate, ut tantum innocens essem. Et ecce jam miserantes video iudicum vultus quorundamprehenduntur lacrymæ. Potui plus optare, potui. sic quoque ego te, fili, occidi. At tu quisquis es, in quem transferetur hoc infelix ministerium, supremas audi patris miserimi voces: Hoc saltem fortunæ meæ præsta, Semel ferias.

## CCCXVI.

*Flens luxuriosi pater.*

Flens pater per publicum, filium luxuriosum sequebatur. Dementiæ reus est.

## S E R M O.

*Hoc genus controversiarum pene divisionem non exigit. Illa communis*

<sup>1</sup> Quo me ducis anime.] Vet. cod. ante me. Pith.

<sup>2</sup> Si contigisset felicitati.] Thaddæus & Arodius felicitate. Corrige: Quid

nunc tibi proderit, miserrime adolescens, quod modestus in pace, quod pius, & si contigisset civitati felicior quies, optimus filius eras. Gronovius.